Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31639
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

ti iusti futuris premiis constanti animo perseuerent. Sed intelligamus qualis ista uirtus est. quam seruare totiens commonemur. Patientia est siquidem que gloriosos martyres facit. que fidei nostre bona custodit. que omnia uincit aduersa non colluctando sed sustinendo. non murmurando sed gratias agendo. Hec deceptricem luxuriam comprimit. iram feruidam uincit. uastatricem humani generis inuidiam tollit. mansuetos efficit. benignis competenter arridet. purgatosque homines ad illa premia futura componit. Ipsa est que fecem totius uoluptatis abstergit. ipsa est que limpidas animas reddit. Per ipsam christo militamus. per ipsam diabolum uincimus. per ipsam beati ad regna celorum perueniunt. Scriptum est enim. In patientia uestra possidebitis animas uestras. Sequitur. Quoniam adiutor et protector noster est. Adiutor est dum ad eum ipsius gratia suffragante conamur accedere. protector dum resistimus aduersario. Securus ergo sustinet dominum. qui tali promissione fulcitur. Et considera quia post omnia precepta patientiam ponit. ut uiriliter cuncta toleremus. qui de tam magni premii largitione confidimus. Et in ipso letabitur cor nostrum et in nomine sancto eius sperabimus. Ne quis de predicata patientia mussitaret. ne quis se tediosa uoluntate confunderet. Sequitur magnificum et suauissimum munus. quoniam ipsa expectatio fit premium suum. quando ipse letatur in domino. Addidit. Et in nomine sancto eius sperabimus. id est in christi que patienter sanctissimus propheta sustinuit. Et letabitur esse uenturum. Sperauimus continuum tempus ostendit. quia non est fas ibi desinere. unde semper potest anima fessa recreari. Fiat domine misericordia tua super nos. sicut sperauimus in te. His uerbis incarnationem domini desiderabat impleri. quam flagranti spiritu magnopere sustinebat. Sed intende quam copiosum munus est. quod ditauit genus humanum. quod angelorum choros leticie iocunditate compleuit. quod ipsa etiam inferna senserunt. Petit etiam desideria sua debere fieri. ut posset perfectius simus inueniri. Addidit in te ut omnes superstitiones. omnes prauitates excluderet. cum uero domino supplicaret.

Conclusio psalmi.

Quam melleflue uoces audite sunt. quam salutariter nobis celeste psalterium cantauit. Tales siquidem mandatorum corde sonuerunt. ut si eas intimis auribus recipiamus. et nos in eis dauitice lyre curatione purgabimur. fietque nobis saulis illa mundatio. ut fugatis inmundis spiritibus ablutam mente domino seruiamus. Habent enim beati musicam suam. que anime fidelis intrat auditum. cuius non deficit sonus. cuius non lassatur intentio. Relinquite ergo spectaculorum amatores. mortiferas uoluptates. ad hec magis gaudia. ad hec conuenite misteria. ubi cythara et organum uirtutes excitant. non desideria praue uoluptatis instigant.

Psalmus XXXIII. Psalmus dauid cum mutauit uultum suum coram abimelech. et dimisit eum et abiit.

Cuius historia tituli istius regum lectione pandatur. superfluum est copiam fontis istius in hac breuitate deriuare. ne nobis totam aream pagine. unius loci effusa relatio complere ac tegere uideatur. sed rem cum nominibus suis breuiter intimamus. Cum saul persequeretur dauid confugit ad achis regem. ibique dum esset inuidia faciente suspectus. industriose mutauit uultum suum. ita ut saliuis ora compleret. quatinus energuminus estimatus. miseratione faciente dimitteretur illesus. Que tamen sicut et alia per illum uirum. magni sacramenti qualitate peracta sunt. Significat enim saliuas. hoc est scripturas diuinas. in barba. hoc est in fortitudine magna decurrere. Sed propter significantias rerum. per achis ad quem confugerat dauid mutatum nomen est abimelech. quod indicat patris mei regnum. Hoc ad dominum christum bene pertinere manifestum est. per quem gloriosus pater seruicium mundi sanctissima deuotione suscepit. Sed cum dicit dimisit eum. regem significat abimelech. Et abiit hoc est ad alias partes se contulit. quia ibi ceperat ut diximus esse suspectus. Presens autem psalmus tertius est eorum. in quibus pacta dauid significantur domini christi futura